

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4206

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Nicolas de Verneuil [clerc]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1272, février

Lieu d'émission : Niort

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III] ajoute 20 livres parisis de rente viagère sur la prévôté de Verneuil à la rente viagère de 20 livres parisis que son père avait assignée à Nicolas de Verneuil, son clerc, et à sa femme.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 812, p. 189 et p. 339.

Texte établi d'après a

Ph., Dei gratia, Francorum rex, universis presentes litteras inspecturis, salutem. Notum facimus quod cum inclite recordationis prekarissimus dominus et genitor noster, Ludovicus, rex Francorum, obtentu grati et accepti servicii quod magister Nicholaus de Vernolio, suus et noster clericus, sibi impenderat, dedisset et concessisset dicto N. et ejus uxori viginti libras parisiensium annui redditus ad dies suos seu alterius eorum superviventis alii, percipiendas et habendas a dictis N. et ejus uxore seu altero illorum, sive mandato eorumdem vel alterius eorumdem, in prepositura nostra Vernolii singulis annis, videlicet medietatem ad festum Omnium Sanctorum et aliam medietatem ad Ascensionem Domini, prout in litteris predicti genitoris nostri, quas penes nos retinuimus, vidimus contineri, nos predictam donationem et concessionem ratam et gratam habentes, pensatisque meritis dicti N., volentes eidem et ejus uxori facere gratiam ampliorem, dedimus et concessimus predictis N. et ejus uxori alias viginti libras parisiensium ad vitam eorum vel alterius illorum qui supervixerit percipiendas et habendas ab ipsis seu altero illorum qui supervixerit vel eorum seu alterius eorum mandato annis singulis in predicta prepositura Vernolii ad terminos superius nominatos. Unde volumus et precipimus ut quicumque pro tempore dictam preposituram tenuerit tam dictas viginti libras parisiensium annui redditus ex dono dicti genitoris nostri, quam alias XX libras parisiensium annui redditus ex dono nostro, annis singulis, sicut predictum est, eisdem N. et ejus uxori vel alteri eorum qui supervixerit, sive eorumdem vel alterius eorum mandato, in dictis terminis sine qualibet difficultate persolvat. In cuius rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Niortum, anno Domini M° CC° septuagesimo primo, mense februarii.